912 (Анаст.)
II
39

Анастасевич
В. Г.

Биографии Demetrius Solicovius, Paulus Stempovius, Martinus Leopolita, Stanislaus Socolovius, Martinus Innglenius, Petrus Lilia.
Выписки из книги неустановленного автора.

б. г. 6 л.
разн. разм.

Лат. яз.
Выписки рукой В. Г. Анастасевича

Л.С.

Nta ms. do hoc eodem loqui Sarnicius in Indice Tabulae Sarmatiarum, vere Leopolis inquiens: Praeest nunc sedi archiepiscopali Stanislaus Sulikovius sive morum integritatem sive solidam eruditionem spectes, vir omni laude superior. In praenomine quidem errat Sarnicius, confundit eum cum Stanislao Socolovio, de quo noster infra pag. 83.

Archipraesul Leopoliensis & Vachocensis primus, postea Sieciechoviensis abbatiae perpetuus administrator, equestris quidem ordinis majoribus, sed tenuis par sortis, in Palatinatu Siradiensi ortus, quomodo aliis ipsis in obscuro versantibus, verum etiam universo ecclesiastico ordini virtute sua praeluxit et assecutus est inter Roxolaniae magnates supremum dignitatis gradum. Quae enim duae res in unum eundemque hominem raro admodum convenire solent, praestans ingenium et summa animi modestia, eae ambae in illo ita inniterunt, ut de eo ornando certasse inter sese viderentur. Nam et in philosophiae studiis, quibus primos annos Crac. in academia dedit, ita excelluit, ut superioris status philosophis ingenio doctrinaque par haberetur. Quo factum, ut non suis modo, ob eximiam morum facilitatem, hilaritatemque non esset gratus sed externis etiam quibuslibet atque Magno illi Lipsio, Censori eruditorum rigido et gravi magnopere laudatus; imo toti Europae, 24 obitis pro Rep. ad diversos principes legationibus, clarus. Primus is Confraternitatem D. Annae ardore pietatis in Poloniam introduxit, et eam fere passim, tum inter D. Francisci religiosos sectatores excitavit. Patres Soc.tis Jesu, utiles in partibus illis schismate Graecanico a nobis disiunctis, operarios Leopolim introduxit; et cum aliis pluribus per universam dioecesim suam ecclesiis providit, tum Vestalibus etiam, sub D. Benedicti praescripto viventibus, in eadem urbe monasterium erexit. Academiae Crac.ae in qua institutus fuit et cujus salutis praeceptis ad vitam cum virtute traducendam informatus erat, semper bene voluit, bene fecit, maxime studiosis pauperibus. Tam enim effusa erga indigentes misericordia et beneficentia fuit, ut credibile magis videatur, mediocres ipsius reditus, ad usum tantae liberalitatis divinitus ut aliquando farinam et oleum illud Sareptanae viduae, auctos interdum fuisse. Feruntque de illo, quod pauperi semel importune eleemosynam petenti annulum quo secretiores litteras obsignabat, non habens quod largiatur, dederit; accidit, ut aliquot post menses scribens ad amicum, sigillum quod non erat in promptu, in arcula solita quaereret & ecce inopinato, quem pauperi dedisset, annulum conspiceret. Attonitus itaque miraculo procidit in faciem glorificans Deum, et exinde ad largiendum promptior fuit. Fuit & in contemplatione fere totus, in lectione vero Graecorum & Latinorum scriptorum etiam tum, cum in itinere esset assiduus, reliquitque de talento suo: a) Super psalm. 67: Exsurgat Deus... meditationes seu suspiriones, vere pias, vere dignas praesule tanto; item b) Pastor Christianorum libellum. c) Lutheri triumphum, contra Srasonicum eiusdem triumphum a quodam Lutherano confictum. d) Prussiam ducalem eiusque eiusque sub Augusto rege tumultum, & haec ligata oratione; soluta vero: in obitum eiusdem Augusti Regis orationem & Panegyrim ad Gallos atque Sarmatas, quae sub nomine probi viri annectitur annalibus Cromeri. In chartophilacio vero suo reliquit:
b) Super evangelia, Psalmos, Epistolas atque hymnos per annum in templo decantari solitos, expositionem ephemeris sacrae nuncupatam; itemque c) meditationes quotidianas. d.) Juris Livonici libell. ac e) eiusdem provinciae Topographiam. f.) Familiares autem

Illud enim [illegible] rerum ex fratre recepit I.V.D. regendam commiserat.

Usus praeceptore in artibus Gregorio Samboritano, cuius nunc Eclogae exstant & Theoresis.

Labores pro Rep.

V. Solicovius

Eleemosinae

Scripta:

eius Epistolae in seriis etiam gravibusque rebus scriptae innumerabiles pene in Coenobio Wachocensi, sed indigestae asservantur plurimae dispersae, in quibus omnibus stylus electus, reconditae elegans, rerum varia cognitio, notanda subtilitas, censura maturum quoddam judicium & ante omnia nescio quid album & ingenuum, quod spirat in eius Scriptis (legi enim posthuma fere omnia) quodque animum legenti objicit non plebeium. Conditus est ante aram maximam

obiit 1603. augusta in aede SS. Trinitatis apud Leopolim, quam annis circiter 20 irreprehensibiliter rexit, ut ex adjuncto testamenti illius & paraphrasi Matthiae Cinnicii S.T.D. in illud, cuique videre fas est. — (Epist. Vitellii & Zorawii).

LLVII. Paulus Stemporius. 65. 702

unde binas ad eum epistolas Manutianas. L. 8.

Regis Sigismundi Augusti Secretarius, tribunus terrae plocensis, vir cũ aliarũ linguarũ, tum latinae atq̃ graecae peritus, Constantinopoli et alibi in graecia edoctus. Unde in Italiã velut ad mercatũ bonarũ artiũ profectus animũ ad jurisprudentiae studium appulit. Inde aurelianum in Galliã, ac postea parisios transiit, bienniõq; exacto honore ac titulo Iurisconsulti ibidem cohonestatus ē. Scripsit q; librũ de Reg. ad Augustum Regem, à quo in albũ Secretariorũ simul cum Andrea Patricio inscriptus, cũ varias Latinas Polonicasq; declamationes per otiũ confecisset. Graeca quoq; poëmata quibus vehementer delectabatur, non nulla conscripsit. Cumq; Rex, peste passim per Poloniã grassante, in Lithvaniam tendens, Knisinie vitam cum morte commutasset, Paulus itidem, quod dii reliquũ erat, domi placide transacto, mortem obiit. Añno 1584.

Ex Iaserovicii.

14
65
75
244
140

LVI. Martinus Leopolita. Rb. 68 3

Regis Sigismundi Augusti Organarius, in inclyta
Leopoli natus, quæ Duce Leone Russis imperante, tali
sub clymate ac sydere sua primordia cepit, ut ad
omnis generis artes & scientias, apta producat inge-
nia: et non intra domesticos modo parietes industrios
viros foveat, sed toti fere Poloniæ tales affatim suppe-
ditet, ut sola prope seminarium, et mechanicorum
et militarium dicatur, quinimo et præstantissimorum
in qualibet sciena doctorum; nec enim ars aut scienz
tam difficilis reperitur quam non adnatam sibi Leopo-
litanus dictam velit, simodo parumper in ea versetur.
In his et Martinus noster Poetices atq. Musices Studio
deditus, 1us è sarmatia fuit qui sobrie melodia delec-
tatus, totius anni cantus Ecclesiasticos aliosq. extraordi-
narios & solennes, ita artificiose, ita concinne ac suaviter
finxit, ut qui chorali cantui accomodatius figuralem
iunxerit, nemo ex Europæis adhuc, ne dicā Polonus fuit.
Et figuralem ipsū per se, quam suavi melodia straxerit,
vel sola paschali processione audita, periti quiq. eius
artis haud satis certe demirari possunt. Eum quoq.
illam, quā D. Patrono suo Martino Turonensi Eppo,
Cantibatam, et sonis musicis et versibus pius conscriptā
venerationis monumentum ppetuū reliqt. Et licet plurimi
fuerant nostrū, qui in media Roma exercitati ipsū
exequare voluerint, imo & nova musices instrumenta
excogitaverint, nullus illorū tamen, eadē laudē, quam
Martinus in Polonia assecutus est, quamvis præter domes-
ticam disciplinam, h. e. Acad. Crac. preceptores nullum
alium magistrum extraneū habuerit. Imo summus in
sua arte sine dubio foret, si, qua erat ingenii præ-
stantia, vita sibi paulo longior contigisset. Usus fa-
miliaritate Joan. Cervi Tucholiensis, qui Leopoli

annis 5. Gymnasio praefectus, ac tandem pro meritis pingui Sacerdotio beatus, reliquit farraginem actionum actionum Juris Civilis Teutonici Magdeburgensis libris VII. pulcherrime digestam.

Ex. Jo. Scrobeovicii.

In marg. Leopolienses apti ad quasvis scientias addiscendas. Usus praeceptore Sebastiano Felstinensi qui musicam simplicem, seu de cantu Gregoriano libellum scripsit.

H Patigonius, Zelensius, Christophorus Kicker, et Brandus posnaniensis S. J. Theolog. summi in polonia musices compositores fuere.

LXII. Stanislaus Socolovius. 83. 167

1. lauream a. 1561. sub eodem illo praeceptore suo, decano artistica facultatis obtinuit. secundam autem post anno Magisterii titulum.

S. Floriani Clepardiae praepositus & Canonicus Cracoviensis, celeberrimi olim illius professoris Jacob. Gorscii felix discipulus praestanti vir ingenio & lingua utraque egregie doctus, quod utrumque vitae probitas & humilitas summa condecorabant ita, ut magno illi Regi Stephano Bathoreo, perpetuo carus existeret, et quem ille uno obtutu perlustratum suum Ecclesiasten, opimis sacerdotiis & honoribus auctum habere voluit. Is igitur pro officii sibi injuncti magnitudine, talem se in omnibus praestitit, qualem eum mater Academia et universus sacer ordo, in oculis sui principis videre desideravit, industrium, gravem, sobrium, eruditum, constantem; ut quem natura, suada, sophia, ob ingenii, eloquii, doctrinae meritum, suum sibi mystam elegerunt. Atque ita, in specula tali constitutus, Censuram Orientalis Ecclesiae, Latio donatam, nobis optimis illustravit. Ad Wittenbergensium Theologorum invectivam, docte & truculenter, lacessitus respondit. De vera et falsae Ecclesiae discrimine 3 libros egregios conscripsit. Itemque justum Josephum fecit. Ecclesiasticas Partitiones. Quaestorem seu de parsimonia et frugalitate, atque ad extremum notas in Evangelia Matthaei, Marci, et Lucae Tomo unico comprehendit. Una restabat Oratio de ratione studii ad Nicol. Volscium, Regni Marsalcum Mecenatem suum conscripta, ni mors praevenisset imprimenda. Sed & hanc jam suo patrono posthumam, uti par erat reddidit M. Jacob. Janidlovius J.U.D. ao. 1619. Decuit enim tanti viri vigilias ab interitu vindicare, quem universi Poloniae Antistes summo in honore ac veneratione habuerunt, & quo pauci Theologiae dogmata purius atque nitidius explicarunt, pauci errores sectariorum eloquentius atque validius confutarunt.

Ex Jo. Scrobeovicii.

LXIX. Martinus Smiglecius. 90.

Alter in Stadium Athleta, Theologus & Concionator PP. S. Jesu, Martinus Smiglecius prodeat. Is puer iis litteris quæ vere ut sunt ita & appellantur humanitatis Cracoviæ in Academia imbutus, lauream utramque in Phia adeptus est et in utraque omnis facultate Græca nimirum & Latina, cum laude aliquandiu versatus, in Societatem a patribus receptus est: inter quos exactis summo zelo annis aliquot, pugnavit, et valde cum Anabaptistis Vilnensibus, quos et Scriptis latine ac polonice passim editis reprehendit, multosque superis faventibus ab Arrianismo & æterno præcipitio ad Gremium Ecclesiæ revocavit, docto illo Tractatu: De verbo incarnato conscripto, tum et aliis. De baptismo prædestinatorum. De divinitate Xti. De usura. De vocatione Ministrorum, seu Nodum Gordium. Atque propter Studentium utilitatem Logicas Quæstiones ac minutiora alia vernacule facta, quibus aut religionem Catholicam propagaret, quam semper ab osoribus zelosissime tutatus est: aut eorum mores corruptos, præcipue iuvenum instauraret. Quibus et suam vitæ innocentiam simul testatus est, et omnes suæ Societatis patres, in vinea Dni incessanter laborare, neminem vero otiosum videre, suis Polonis declaravit; verum hunc in illa; istum in alia professione versari omnes autem unum scopum et finem intendere Curam salutis. Talis fuit & Martinus Laterna. Drohobicensis, qui Decachordon Spirituale & Orationes plures scripsit. Talis Georgius Tyszkievicius qui Contra Torunenses hæreticos et de perfectione huius vitæ opus confecit. Tales & cæteri quos hic omitto.

Ern. Jo. Sorobcovicii.

An Sal. 1581 scripsit contra Faustum Socinium Anabaptistam itemque Nova monstra Arrianismi.

LXX. Petrus Lilia. 91.

Plurimos sane cuiusvis facultatis eruditos homines Polonia
maior nostris temporibus protulit. Inter Theologos quidem
Petrus Lilia propositus Sredensis et Canonicus Posnan.
multis nominibus eminet. Is Posnaniae, quae provinciae
illius umbilicum fere obtinet, oriundus, in Craco-
viensi Academia Philosophicas disciplinas imbibit,
earumque lauream adeptus, nobiles adolescentes,
tum publice, tum privatim instituit. Postea in Ita-
liam disciplinarum parentem profectus, in ipso theatro
orbis, Romana Academia, Doctoris Theologi titulum
adeptus. insigne specimen ingenii sui declaravit
pluries cum in diversis Academiis, tum in Cracoviensi,
pro obtinendo loco inter Doctores disputando. Quo
inter alias leges sibi publice utiles, quibus et se ipsa
Lex Acad.ae Crac. tueretur, et regno esset quam maxime commoda, illud
etiam sanxit, ut qui alia in Academia, testimonia
eruditionis esset consecutus, eorum domi usum, a publica
disputatione ordiretur, primumque Universitati promotione
et erudicionem suam probaret. Quod et fecit ille, Stiloque
1. candidiore De SS. Trinitate, oratione contra Arianos,
scripsit. Item Salomonem Regem, ad Serenissimum Sigis. III.
commentariosque super sententias Nazianzeni quas Graecarum
literarum non ignarus, latina civitate donavit. Scripsit
et actiones pro domo sua. et ad Tarnowium Archiepiscopum
orationes. Et cum in faciendis ad populum concionibus
esset felicissimus, multis principibus viris extitit gratus.
quamvis non diu amatus; brevi enim febris oppressum
domo sua extulit, virtus caelo intulit, vere Lilium
fragrantem, conditus vero in Basilica Posnaniensi, tali
epigraphe addita. — D.O.M. R.do Dno Petro Lilia, S.T.D. olim
Sereniss. R. Steph. Concionatori, Canonico posnan. qui annos salutis
varie 1606. ms. febr. d. 22. aet. suae a. 60. ultimum clausit diem.
Ex.a Joa. Sascrovicii & Jo. Sorobcovii.